



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Vita Et Institvto S. Ignatii Societatis Iesv Fvndatoris. Libri Qvinque

Bartoli, Daniello

Lvgdvni, 1665

XLI. Concionator è Societate egressus S. Ignatij chirographo oculum
amittit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10840

pitis dolor euanesceret; in lucem prodit iam oculis gratam, cibum sumit, quem auerfabatur prius. Beneficij gratias sancto agit, & nostris chirographi. Ægrè ab se illud amouerat, cum mali prima vis tota denuo repente ingruit; reuocatur de via qui chirographum referebat, recipitur, adhibetur, morbus omnis difflatur; quas easdem vices toto quadriduo toties probauit, quoties ab se chirographum abstulit, donec tandem illud repetentibus patribus, valetudinis securus restituit.

Huic ferè geminum euenit in Colonna Correia item Maioricæ quoad cruciatus capitis, & alterius oculi, quem subinde credebat euulsum stirpitus; sed malo insuper cæcitas accessit; cum referente aliquo didicit quod ante biennium in Contestio factum narrauimus, impetrato igitur chirographo, adhibitoque ad oculum, cæcitatē vnà omnemque alium dolorem depulit.

Ante hos Romæ iisdem in morbis virtutem chirographi senserat Olimpia Marina tam immani tormento capitis extra se posita, vt continenda esset vinculis, ne ad parietes caput allideret. Hæc item chirographi, contactu triplici, sic persanata est, vt è vestigio, & febris qua detinebatur, & capitis dolor abscederet.

Sed ad eò multa sunt hoc solum chirographo prodigia diuinitus edita, vt iustum volumen possint conficere: nam puella cæca Valentia, lumen eius tactu recepit; & quidam ibidem ex ministris aulae primariis vertiginem discussit, quæ post sex mensium irritam medicationem degenerabat in apoplexiam; & Madriti è Societate Ioannes Rojas, torminibus stomachi periclitari de vita solitus, illius tactu sic valuit, vt ad confessiones in templum statim descenderet; & è nostris item Martinus Gardius, diuturnum dentium dolorem momento dissipauit; & Dominus Ioannes de Aquilera Toleri Chartusianus ex neruorum contractione crure altero captus; ac Michaël Glosius S. Martini prope Hefdinium Abbas ex præmonstratensium Ordine, brachiorum & crurum paraysi, eiusdem remedij mirabilitate sanitatem adepti sunt.

Verum vt alia taceam, quæ habentur in actis ad sanctitatem Ignatij probandam confectis, vnum addam exempli quam prodigij non minoris. Romæ Sacerdos è Societate concionibus & fama notissimus à nobis discessit, abeundi causa ex iis fuit, quæ perseuerantis constantiæ iactura puniuntur. Hic anno sesquimillesimo nono, & nonagesimo, altero oculo grauiter laborans, tandem illum amisit: conuenit illum officij gratia adiutor è Societate, qui S. Ignatij admoto chirographo mira confluuerat patrare: Optauit ægrotus huius quoque beneficij fieri particeps, cæcoque oculo chirographum appressit, sanctum rogans, vt lucem redderet; sed euentu rogantis commerita, non preces secuto, post amotum chirographum, altero etiam quem sanum habebat oculo, cæcatum se comperit, sancto arbitror id volente, vt ea cæcitas excæcati animi collyrium fieret.

XXXVIII

Simile pracedenti.

XXXIX.

Simile item Roma.

XL.

XLI.

Concionator è Societate egressus S. Ignatij chirographo oculum amisit.

Michaël